

D. O. M.

DISPUTATIO LXX.

DE STATV & REBVS IVDÆORVM.

I.

Postquam Respublica Iudæorum in ditionem potestatem-
que Herodiadarum redacta est, res eius in deterius ire
coeperunt, & libertate gentis imminuta, ac mixto extero-
rum atque indigenarum imperio, multae seditionum oc-
casiones populo datae sunt, quibus iugum a cervicibus su-
is depellere, seque in pristinum statum vindicare cupiebat.

*Ios. A. I. XV.
9. 13. XVI. 15.
17. Caf. Ex.
1. ad appa-
rat. n. 5.*

II. Herodes Ascalonita ad tanti splendoris fastigium se atque re-
gnum suum perduxit, ut quibusdam summa, neque obnoxia aliis pote-
state praefuisse videatur. Sed rectius rem illam aestimantes iudicant, in
populi Romani clientela fuisse, et fiduciaria lege, qua superiorem agno-
vit et habuit, regnum tenuisse. In quam rem haud pauca adducere li-
cet, quae iuris non mediocriter deminuti, & precarii regni fidem indi-
ciumque facere possint.

III. Cum Herodes regnum adipisceretur, turbarum & motuum non
erat modus, nec finis quandoquidem praeter multas et graves querelas,
Iudaei saepenumero adversus ipsum conspirabant. Ingravescente au-
tem tyranni aetate, et senectute effoeta, animus ipsis crevit, & majori
fiducia elatus est, cupiditasque moliendi res novas vehementer inflam-
mata, ipsorum incessit animos atque expugnavit. Quibus rebus fa-
ctum est, ut neque omnes sacramento fidem regi obstringerent, neque
duces tumultuantium inceptis et machinationibus deessent: id quod Iu-
dae et Mathiae, fortissimorum iuvenum, intempestiva audacia, et ple-
num periculi institutum abunde confirmant.

*Ios. L. XVII.
c. 8. & 11.*

IV. Atenim dici non potest, quam omnium animi, illo mortuo,
ad rerum novarum expectationem erecti fuerint, quot conspirationes
adversus defuncti liberos coeperint, quot denique extiterint, qui per
seditiones et tumultus viam ad regnum affectarent; siquidem Iudae E-
zechiae filii, Simonis, Athongis, aliorumque complurium, consilia
perduellionis plena, et irae ultionisque modum excedentia, parum a
furore abfuerunt, cum praeter rationem facerent, legumque vinculis
se constringi aegre paterentur. Sane ad haec omnino tempora, ulti-
ma, inquam, regni Herodis, vel quae statim mortem eius secuta
sunt, Theudæ historiam, cuius meminit Gamaliel, plerique non insci-
ti scriptores referendam existimarunt.

V. In-